



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

De eius virtute opinio Illustrissimi Angeli Cæsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Opinio Illustriissimi Angeli Casi de virtute Ioannis.

tem de morte, deque secutura vitâ. Cuius orationibus cum salutem suam commendasset, inde digressus, affirmabat, visum sibi Angelum in eo lecto vidisse iacentem, in quo tam placidè quiescebat, tam expedite loquebatur, ut nec morbi, nedum mortis, sensum ullum habere videretur.

Iuuenem quemdam nominans (qui bi-duo post in Tyrocinium Societatis erat ingressurus) Hic (aiebat magnâ vultus animique hilaritate) meum in locum est successurus. Domino Hieronymo Martelli promisit se memorem eius in cælo fore. Inclinante iam die, rediêre Medici, viribusq; defectum reperere. Quibus cum gratias humaniter habuisset, vni eorum, *Eamus*, inquit, *mi Domine, eamus*. Et quomodo rogat ille: *In cælum*, ait Ioannes. Roganti Medico, ut sui in cælo esset memor, promisit facturum lubenter. In discessu, Filander Medicus, Non est, ait, tanta morbi huius grauitas, quæ Iuuenem adeo debilitare possit; sed illud necessariò cum Hippocrate dicendum nobis est, *Hic moritur diuinitus*, aduersus quam vim omnis nostra impar est medicina.

Iudicium Doctoris Filandri de morbo Ioannis.

Iam ager tot visitationibus fatigatus, viribusque defectus, sibi ut relinqueretur, à Superioribus mandatum erat: at Ioannes, visâ Patrum Fratrumque præforibus turbâ, facultatem